

5. Et fuit civitas obsessa usque ad undecimum annum regis Sedeciae.

6. Mense autem quarto, nona mensis obtinuit fames civitatem: & non erant alimenta populo terrae.

7. Et dirupta est civitas, & omnes viri bellatores eius fugerunt, exieruntque de civitate nocte per viam portae, quae est inter duos muros, & ducit ad hortum regis (Chaldaeis obsidentibus urbem in gyro) & abierunt per viam, quae ducit in eremum.

8. Persecutus est autem Chaldaeorum exercitus regem: & apprehenderunt Sedeciam in deserto, quod est iuxta Iericho: & omnis comitatus eius diffugit ab eo.

9. Cumque comprehendissent regem, adduxerunt eum ad regem Babylonis in Reblatha, quae est in terra Emath: & locutus est ad eum iudicia.

10. Et iugulavit rex Babylonis filios Sedeciae in oculis eius: sed & omnes principes Iuda occidit in Reblatha.

11. Et oculos Sedeciae eruit, & vinxit eum compedibus, & adduxit eum rex Babylonis in Babylonem, & posuit eum in domo carceris usque ad diem mortis eius.

12. In mense autem quinto, decima mensis, ipse est annus nonus decimus Nabuchodonosor regis Babylonis: venit Nabuzardan princeps militiae, qui stabat coram rege Babylonis in Ierusalem.

13. Et incendit domum Domini, & domum regis, & omnes domos Ierusalem, & omnem domum magnam igni combussit.

14. Et totum murum Ierusalem per circuitum destruxit cunctus exercitus Chaldaeorum, qui erat cum magistro militiae.

15. De pauperibus autem populi, & de reliquo vulgo, quod remanserat in civitate, & de perfugis, qui transfugerant ad regem Babylonis, & ceteros de multitudine, transfudit Nabuzardan princeps militiae.

16. De pauperibus vero terrae reliquit Nabuzardan princeps militiae vinitores, & agricolas.

17. Columnas quoque aereas, quae erant in domo Domini, & bases, & mare aeneum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldaei, & tulerunt omne aereorum in Babylonem.

18. Et lebetes, & creagras, & psalteria, & phialas, & mortariola, & omnia

vasa aerea, quae in ministerio fuerant, tulerunt: &

19. hydrias, & thymiamateria, & urceos, & pelves, & candelabra, & mortaria, & cyathos: quotquot aurea, aurea: & quotquot argentea, argentea tulit magister militiae:

20. & columnas duas, & mare unum, & vitulos duodecim aereos, qui erant sub basibus, quas fecerat rex Salomon in domo Domini: non erat pondus aeris omnium horum vasorum.

21. De columnis autem, decem & octo cubiti altitudinis erant in columna una: & funiculus duodecim cubitorum circuibat eam: porro grositudo eius, quatuor digitorum, & intrinsecus cava erat.

22. Et capitella super utramque aera: altitudo capitelli unius quinque cubitorum: & retiacula, & malogranata super coronam in circuitu, omnia aerea. Similiter columnae secundae, & malogranata.

23. Et fuerunt malogranata nonaginta sex dependentia: & omnia malogranata centum, retiaculis circumdabantur.

24. Et tulit magister militiae Saraïam sacerdotem primum, & Sophonium sacerdotem secundum: & tres custodes vestibuli.

25. Et de civitate tulit eunuchum unum, qui erat praepositus super viros bellatores: & septem viros de his, qui videbant faciem regis, qui inventi sunt in civitate: & scribam principem militum, qui probabat tyrones: & sexaginta viros de populo terrae, qui inventi sunt in medio civitatis.

26. Tulit autem eos Nabuzardan magister militiae, & duxit eos ad regem Babylonis in Reblatha.

27. Et percussit eos rex Babylonis, & interfecit eos in Reblatha in terra Emath: & translatus est Iuda de terra sua.

28. Ille est populus, quem transfudit Nabuchodonosor: In anno septimo Iudaeos tria millia & viginti tres:

29. In anno octavodecimo Nabuchodonosor de Ierusalem animas octingentas triginta duas:

30. In anno vigesimotertio Nabuchodonosor transfudit Nabuzardan magister militiae animas Iudaeorum septingentas quadraginta quinque. * omnes ergo animae, quatuor millia sexcentae.

31. Et

ram penitus incultam reliquit: iniquitatis Israelis (à Iuda seiuncti) 390. & Iudae 40. anni terminantur Ezechielis c. 4. praemonstrati.

* A primo regni eius adhuc vivente patre initio. Anno M. 3416. desinente Olymp. 48. ann. r. ineunte. Ant. Chr. 588. † Ipso die Sabbati, postquam a Salomone condita est ann. 424. mensibus 3. & diebus 8.

* Regni sui. Ann. M. 3404.

† Ann. M. 3420. Ant. Chr. 584.

* In hac extrema desolatione quae terram

* Ann. M. 3442. Ant. Chr. 562. * V. 4. Reg. 25. 27.

31. Et factum est in trigesimo septimo anno transmigrationis Ioachin regis Iuda, duodecimo mense, vigesima quinta mensis, * elevavit Evilmerodach rex Babylonis ipso anno regni sui, caput Ioachin regis Iuda, & eduxit eum de domo carceris.

32. Et locutus est cum eo bona, & posuit thronum eius super thronos regum,

qui erant post se in Babylone.

33. Et mutavit vestimenta carceris eius, & comedeat panem coram eo semper cunctis diebus vitae suae:

34. & cibaria eius, cibaria perpetua dabantur ei à rege Babylonis statuta per singulos dies, usque ad diem mortis suae cunctis diebus vitae eius.



THRENI,

ID EST,

LAMENTATIONES IEREMIAE PROPHETAE.

HIC Liber lugubres Ieremia querimonias continet, de miserabili statu Iudaeorum, & de vastitate Ierosolyma, sive eam intelligamus quam passus est ab interitu Iosia, ut volunt Hebraei, Chaldaei, & quidam alii: sive eam quam à captivitate Iechonia, ut Eusebius: sive potius illam accipiamus quam intulit Nabuchodonosor sub Sedecia rege, cum urbs eversa est, & templum incensum, ut censent Origenes ac Theodoretus, & quoque in fronte libri huius adscripserunt Graeci Interpretes: sive etiam ad illam direptionem respiciamus, quam fecit Titus Vespasianus, qua ex mente Hieronymi, veluti complementum huius prophetae est. Quidquid sit, certum est Iosia mortem, qui à Necaone rege Aegypti interit anno mundi 3394. omnium istorum malorum exordium fuisse, & Ieremiam valde apertum ad tractanda τὰ περὶ τὰς πόλεις, eius mortem deservisse, omnisque cantores & cantatrices annis singulis, lamentationes eius super Iosiam replicasse, ut est 2. Par. 35. 25. sive de his, sive de aliis lamentis id accipiendum sit. Quin nova quoque lamentatio de sterili Iudaeorum statu, inde à morte Iosia ab Ezechiele praecipitur, cap. 19. Itaque merito dubitatur an proemialis ille versus, à Graecis assumptus, canonica auctoritatis sit, cum in Hebraeo, Syro, Chaldaeo, desit. Non esse sentiunt Bonaventura, Lyranus & alii. Ceteri versus à Propheta carmine Hebraico scripti sunt, certo serè numero non pedum sed syllabarum, & à litteris alphabeti ordine inchoati: nisi quoddam Phe precedat Ain in 2. 3. & 4. cap. more fortè Chaldaeorum, cum contra apud Hebraeos fieri soleat. Harum vero litterarum nomina Interpretes tam Graeci quam Latini hic retinuerunt, ut & in Psalmo 118. quoddam veluti certa signa sint ad levandam memoriam à Prophetis adhibita.

* Hae verba leguntur in Graeca versione LXX. Interpretum, non in Hebraeis fontibus.

Et factum * est, postquam in captivitatem redactus est Israel, & Ierusalem deserta est, sedit Ieremias propheta flens, & planxit lamentatione hac in Ierusalem, & amaro animo suspirans, & eiulans dixit:

CAPUT PRIMUM.

A L E P H.

1. **Q**uomodo sedet sola civitas plena populo: facta est quasi vidua domina Gentium: princeps provinciarum facta est sub tributo.

B E T H.

2. * Plorans ploravit in nocte, & lacry-

mae eius in maxillis eius: non est qui confoletur eam ex omnibus charis eius: omnes amici eius spreverunt eam, & facti sunt ei inimici.

G H I M E L.

3. Migravit Iudas propter afflictionem, & multitudinem servitutis: habitavit inter gentes, nec invenit requiem: omnes persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias.

D A L E T H.

4. Via Sion lugent eò quod non sint qui veniant ad solemnitatem: omnes portae eius destructae: sacerdotes eius gementes: virgines eius squalidae, & ipsa oppressa amaritudine.

Vvv 3

He.

* Ier. 13. 17.

H E.

5. Facti sunt hostes eius in capite, inimici eius locupletati sunt: quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum eius: parvuli eius ducti sunt in captivitate ante faciem tribulantis.

V A U.

6. Et egressus est à filia Sion omnis decor eius: facti sunt principes eius velut arietes non inveniētes pascea: & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequēntis.

Z A I N.

7. Recordata est Ierusalem dierum afflictionis suæ, & prævaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat à diebus antiquis, cum cadēret populus eius in manu hostili, & non esset auxiliator: viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata eius.

H E T H.

8. Peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est: omnes, qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam eius: ipsa autem gemens conversa est retrorsum.

T E T H.

9. Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui: deposita est vehementer, non habens consolatorem: vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.

I O D.

10. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius: quia vidit Gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas ne intrarent in ecclesiam tuam.

C A P H.

11. Omnis populus eius gemens, & quærens panem: dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam. vide Domine & considera, quoniam facta sum villis.

L A M E D.

12. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus: quoniam vindemiavit me ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui.

M E M.

13. De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudit me: expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum: posuit me desolatam, tota die mœrore confectam.

N U N.

14. Vigilavit iugum iniquitatum mearum: in manu eius convoluta sunt, & imposta collo meo: infirmata est virtus

mea: dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere.

S A M E C H.

15. Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei: vocavit adversum me tempus, ut contereret electos meos: torcular calcavit Dominus virgini filiæ Iuda.

A I N.

16. * Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas: quia longè factus est à me consolator, convertens animam meam: facti sunt filii mei perdit, quoniam invaluit inimicus. ^{* Jer. 14. 17.}

P H E.

17. Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam: mandavit Dominus adversum Iacob in circuitu eius hostes eius: facta est Ierusalem quasi polluta menstruis inter eos.

S A D E.

18. Iustus est Dominus, quia os eius ad iracundiam provocavi. audite obsecro universi populi, & videte dolorem meum: virgines meæ, & iuvenes mei abierunt in captivitate.

C O P H.

19. Vocavi amicos meos, & ipsi deciperunt me: sacerdotes mei, & senes mei in urbe consumpti sunt: quia quæserunt cibum sibi ut refocillarent animam suam.

R E S.

20. Vide Domine quoniam tribulor, conturbatus est venter meus: subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum. foris interficit gladius, & domi mors similis est.

S I N.

21. Audierunt quia ingemisco ego, & non est qui consoletur me: omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt, quoniam tu fecisti: adduxisti diem consolationis, & sicut similes mei.

T H A U.

22. Ingrediatur omne malum eorum coram te: & vindemia eos sicut vindemiasti me propter omnes iniquitates meas: multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens.

C A P U T I I.

A L E P H.

1. **Q**uomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion: proiecit de cælo in terram inclytam Israël, & non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui.

B E T H.

B E T H.

2. Præcipitavit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Iacob: destruxit in furore suo munitiones virginis Iuda, & deiecit in terram: polluit regnum, & principes eius.

G H I M E L.

3. Confregit in ira furoris sui omne cornu Israël: avertit retrorsum dexteram suam à facie inimici: & succendit in Iacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro:

D A L E T H.

4. Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis: & cecidit omne, quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion, effudit quasi ignem indignationem suam.

H E.

5. Factus est Dominus velut inimicus: præcipitavit Israël, præcipitavit omnia mœnia eius: dissipavit munitiones eius, & replevit in filia Iuda humiliatum & humiliatam.

V A U.

6. Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum: oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem, & sabbatum: & in opprobrium, & in indignationem furoris sui regem, & sacerdotem.

Z A I N.

7. Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ: tradidit in manu inimici muros turrium eius: vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solemnium.

H E T H.

8. Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion: tetendit funiculum suum, & non avertit manum suam à perditione: luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est.

T E T H.

9. Defixæ sunt in terra portæ eius: perdidit, & contrivit vectes eius: regem eius & principes eius in Gentibus: non est lex, & propheta eius non invenerunt visionem à Domino.

I O D.

10. Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion: consperferunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis, abiecerunt in terram capita sua virgines Ierusalem.

C A P H.

11. Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea: effusum est in terra iecur meum super contritione filiæ populi mei, cum deficeret parvulus, & lactens in plateis oppidi.

L A M E D.

12. Matribus suis dixerunt: Ubi est triticum & vinum? cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis: cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.

M E M.

13. Cui comparabo te? vel cui assimilabo te filia Ierusalem? cui exæquabo te, & consolabor te virgo filia Sion? magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui?

N U N.

14. Propheta tui viderunt tibi falsam, & stultam, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad penitentiam provocarent: viderunt autem tibi assumptiones falsas, & eiectiones.

S A M E C H.

15. Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilaverunt, & moverunt caput suum super filiam Ierusalem: Hæcine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ?

P H E.

16. Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt: Devorabimus: en ista est dies, quam expectabamus: invenimus, vidimus.

A I N.

17. * Fecit Dominus quæ cogitavit, complevit sermonem suum, quem præceperat à diebus antiquis: destruxit, & non pepercit, & lætificavit super te inimicum, & exaltavit cornu hostium tuorum. ^{* Lev. 26. 14. Dent. 28. 15.}

S A D E.

18. Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion: * Deduc quasi torrentem lacrymas per diem, & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. ^{* Jer. 14. 17. Sup. I. 16.}

C O P H.

19. Confurge, lauda in nocte in principio vigiliarum: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.

R E S.

20. Vide Domine, & considera quem vindemiaveris ita: ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmæ? si occiditur in sanctuario Domini sacerdos, & propheta?

S I N.

21. Iacuerunt in terra foris puer, & senex: virgines meæ, & iuvenes mei ceciderunt de-

derunt in gladio : interfecisti in die furoris tui : percussisti , nec misertus es.

T H A U.

22. Vocasti quasi ad diem solemnem, qui terrerent me de circūitu, & non fuit in die furoris Domini qui effugeret, & relinqueretur : quos educavi, & enutrivī, inimicus meus consumpsit eos.

C A P U T I I I.

A L E P H.

1. **E**GO vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius.

A L E P H.

2. Me minavit, & adduxit in tenebras, & non in lucem.

A L E P H.

3. Tantū in me vertit, & convertit manum suam tota die.

B E T H.

4. Vetus tam fecit pellem meam, & carnem meam, contrivit ossa mea.

B E T H.

5. Ædificavit in gyro meo, & circumdedit me felle, & labore.

B E T H.

6. In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos.

G H I M E L.

7. Circumædificavit adversum me, ut non egrediar : aggravavit compedem meum.

G H I M E L.

8. Sed & cum clamavero, & rogavero, exclusit orationem meam.

G H I M E L.

9. Conclufit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit.

D A L E T H.

10. Ursus insidians factus est mihi : leo in absconditis.

D A L E T H.

11. Semitas meas subvertit, & confregit me : posuit me desolatam.

D A L E T H.

12. Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.

H E.

13. Misit in renibus meis filias phæretræ suæ.

H E.

14. Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.

H E.

15. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio.

V A U.

16. Et fregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere.

V A U.

17. Et repulsa est à pace anima mea, oblitus sum bonorum.

V A U.

18. Et dixi : Perit finis meus, & spes mea à Domino.

Z A I N.

19. Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absynthij, & fellis.

Z A I N.

20. Memoriâ memor ero, & tabescet in me anima mea.

Z A I N.

21. Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo.

H E T H.

22. Misericordiæ Domini quia non sum consumpti : quia non defecerunt miserationes eius.

H E T H.

23. Novi diluculò, multa est fides tua.

H E T H.

24. Pars mea Dominus, dixit anima mea : propterea expectabo eum.

T E T H.

25. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.

T E T H.

26. Bonum est prætolari cum silentio salutare Dei.

T E T H.

27. Bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua.

I O D.

28. Sedebit solitarius, & tacebit : quia levavit super se.

I O D.

29. Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes.

I O D.

30. Dabit percipienti se maxillam, saturabitur opprobriis.

C A P H.

31. Quia non repellet in sempiternum Dominus.

C A P H.

32. Quia si abiecit, & miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum.

C A P H.

33. Non enim humiliavit ex corde suo, & abiecit filios hominum,

L A M E D.

34. Ut contereret sub pedibus suis omnes vincos terræ,

35. LA-

L A M E D.

35. Ut declinaret iudicium viri in conspectu vultus Altissimi.

L A M E D.

36. Ut perverteret hominem in iudicio suo, Dominus ignoravit.

M E M.

* Amos 3. 6. 37. * Quis est iste, qui dixit ut fieret, Domino non iubente?

M E M.

38. Ex ore Altissimi non egredientur nec mala nec bona?

M E M.

39. Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis?

N U N.

40. Scrutemur vias nostras, & quæramus, & revertamur ad Dominum.

N U N.

41. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in celos.

N U N.

42. Nos iniquè egimus, & ad iracundiam provocavimus : idcirco tu inexorabilis es.

S A M E C H.

43. Operuisti in furore, & percussisti nos : occidisti, nec pepercisti.

S A M E C H.

44. Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.

S A M E C H.

45. Eradicationem, & abiectionem posuisti me in medio populorum.

P H E.

46. Aperuerunt super nos os suum omnes inimici.

P H E.

47. Formido, & laqueus facta est nobis vaticinatio, & contritio.

P H E.

48. Divisiones aquarum deduxit oculus meus, in contritione filiarum populi mei.

A I N.

49. Oculus meus afflictus est, nec tacuit, ed quod non esset requies,

A I N.

50. Donec respiceret & videret Dominus de cælis.

A I N.

51. Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.

S A D E.

52. Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis.

S A D E.

53. Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.

S A D E.

54. Inundaverunt aquæ super caput meum : dixi : Perii.

C O P H.

55. Invocavi nomen tuum Domine de lacu novissimo.

C O P H.

56. Vocem meam audisti : ne avertas aurem tuam à singultu meo, & clamoribus.

C O P H.

57. Appropinquasti in die, quando invocavi te : dixisti : Ne timeas.

R E S.

58. Iudicasti Domine causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ.

R E S.

59. Vidisti Domine iniquitatem illorum adversum me : iudica iudicium meum.

R E S.

60. Vidisti omnem furorem, universas cogitationes eorum adversum me.

S I N.

61. Audisti opprobrium eorum Domine, omnes cogitationes eorum adversum me :

S I N.

62. Labia insurgentium mihi ; & meditationes eorum adversum me tota die.

S I N.

63. Sessionem eorum, & resurrectionem eorum vide, ego sum psalmus eorum.

T H A U.

64. Reddes eis vicem Domine iuxta opera manuum suarum.

T H A U.

65. Dabis eis scutum cordis laborem tuum.

T H A U.

66. Persequeris in furore, & conteres eos sub cælis Domine.

C A P U T I V.

A L E P H.

1. **Q**uomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum?

B E T H.

2. Filii Sion inclyti, & amici auro primo : quomodo reputati sunt in vasa tæstea, opus manuum figuli?

G H I M E L.

3. Sed & lamia nudaverunt mammam, lactaverunt cæculos suos : filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.

D A L E T H.

4. Adhæsit lingua lactentis ad palatum eius

eius